

§. 9. Si quis vero talem humorem ad alia loca revellere velit, ad interna per venae sectionem utique transfert: cum enim is non totus evacuatur, immo vero a priore loco emovetur, magna autem cum celeritate circumagitur, humoribus quidem omnibus commixtus, impetu vero febris violento concitatus, facilius ad loca imbeciliora irruit, ad viscera mollia & magis laxa, quibus vis resistentiae minor est, quam ad externa multo validiora, quibus fat resistentiae inest, nemo itaque per istud remedium prodesse potest; immo vero per ejusmodi translationem humorum acrium gravem inflammationem in visceribus laxis & in locis debilioribus protinus efficiens atque morbum a priore diversum longeque deteriorem excitans, majorem inducit noxam. Id quod & experientia ostendit, non sola ratio.

§. 10. Quomodo igitur hoc medendi modo vano & in his morbis inutili adjuvabit? Tali vero remedio absque emolumento & sine ratione, quis utetur? nisi quis morbos augere velit, naturam quidem concoctiones mature properantem debilitando,